A. A. Howard.

OBSERVATIONES

AD

SVETONII TRANQVILLI

VITAS CAESARVM

QVIBVS

VARIAS VIRORVM DOCTORVM

EMENDATIONES ET INTERPRETATIONES

DENVO

EXCVSSIT ATQVE EXAMINAVIT

GEORGIVS HENRICVS WALTHER

LYCEI TORGAVIENSIS SVBRECTOR

TORGAVIAE

IMPRESSIT IOANNES MATTHIAS KVRZIVS.

MDCCCXIII.

VIRO MAGNIFICO

SVMME VENERABILI

AMPLISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

D. CHRISTOPHORO FREDERICO AMMON

THEOLOGO SVMMO POTENTISSIMI REGIS SAXONIAE IN SENATV ECCLESIASTICO ET CONSISTORIO SVPREMO CONSILIARIO ET CONCIONATORI AVLICO PRIMARIO

D. D.

AVCTOR.

VIR MAGNIFICE

ET

SVMME VENERABILIS!

Observationes quasdam ad Suetonium in lucem emissurus ornamentum aliquod insigne libello meo addere cupiebam, ut felici omine faustisque auspiciis opera mea in hoc scriptore explicando posita viris doctis innotesceret. Quod cum hisce diebus animo agitarem, consilium non poterat non in promtu esse. Quid enim Tvo, Vir Svmme Venerabilis, in Saxoniam adventu laetius jucundiusque hoc tempore accidit reipublicae nostrae literariae et literarum cultoribus? Quare nomen Tvvm opusculo meo decus fore praestantissimum haud temere putaui. Jam Tva in philologorum etiam disciplinam merita satis superque testantur, huius generis disquisitionem a Te Tvisqve deliciis non esse alienam, nec Tibi displicere. Id autem mihi valde dubium est, an hoc opus meum et ambitu et re exiguum Tva cura sit dignum. Quodsi vile Tibi hoc munusculum

videbitur, quo amplissimos honores TIBI in patria nostra delatos animo integro gratulor, ignosce mihi, qui nomine TVO abusus sum, et reputa, me, cum haec conscriberem, in solatium temporum inter strepitus belli perturbationesque quam plurimas his studiis incubuisse. Benigne tamen accipias, quae pro TVA salute omnibusque rebus TVIS vota nuncupo. Faxit Deus ter Optimus Maximus, ut quo turbulentiora fuerint initia TVAE inter Saxones commorationis, eo laetiora TIBI in posterum tempora contingant, et ita TVA eruditio TVAQVE virtus etiam in patria nostra effectus in literarum studia earumque cultores, qui TVIS indigent auspiciis, exserat laetissimos. Omnibus dei beneficiis cumulatus vitam inter nos praeclare factis uberrimam, tranquillam et prosperam transigas, et mihi contingat, ut TVO fruar fauore

MAGNIFICI NOMINIS

TVI

Torganiae
Kalendis Jun.
MDCCCXIII.

obseruantissimus cultor
Georgius Henricus Walther.

Quum in scholis meis publice Suetonium explicare coepissem, variis locis interpretes falli, vel sine caussa de idoneo sensu textusque integritate desperare, vel etiam perperam coniecturis indulgere deprehendi. Hinc studio, ut fit, alacriori accensus id egi, ut multis locis denuo tractandis Suetonium rectius explicarem, codicumque lectionem tuerer. Difficilius forsan, quam pro viribus, munus suscepisse viderer post tot doctissimos huius scriptoris interpretes, nisi ipsa eius indoles me ab inuidia defenderet. Ea enim est dicendi ratio, eaque breuitas, ea denique haud raro rerum obscuritas, quae vel antiquitatis peritissimis dubitationes creare et errorum occasionem dare possit. Ceterum ita summum literarum judicium fautrix natura principibus quibusdam dedit, ut nobis tamen non sola obsequii gloria relicta sit. Quare non dubitaui, quin ex schedis meis ederem, quae Suetonii interpretationi utilia fore censebam. Noli tamen putare, his paginis omnia contineri, quae in Suetonio legendo notatu digna inuenerim; imo permulta supersunt loca, ubi doctorum virorum obseruationes vel mihi non satisfacere vel esse retractandae videntur. Sed donec pleniorem de Suetonio libellum proponam, hisce notulis adquiescas. In quibus conscribendis ne cupide versatus esse et obtrectationis caussa complures virorum doctorum emendationes et coniecturas reiecisse videar, accipe, quas leges in critica exercenda secutus sim. Intellexi nempe, quam vera sint, quae Beckius, Vir Illustris, in dissertatione: De consilio et rationibus Seminar. philol. p. 11. monet: *aut nulla indigere loca quaedam, a multis sollicitata, emendatione aut multo leniore, quam quae a nonnullis proposita sit.* Quam sententiam recentius etiam repetitam video in *Erfurdtii Praefatione praemissa Catalogo lectionum aestiuarum in Acad. Regiom.* 1812. cf. Acta Seminarii Regii et Societ. philolog. Lips. Vol. II. part. 2. p. 376. ubi talia Erfurdtii verba laudantur: *In judicio de locis veterum scriptorum paullo impeditioribus faciendo, quum omnes in partes considerationem intendimus, haud raro ea, quae laborare correctionibusque indigere visa erant criticis, sana et integra esse deprehenduntur.* Mul-

tiariam in Suetonio etiam eo peccatum est a quibusdam editoribus, quod antiquis et manuscriptorum lectionibus temere justoque promtius abiectis, suas coniecturas in textum receperunt, vel etiam rariores lectiones vulgatis substituerint ex mero emendandi studio. Non omnino omnes abnuo textus emendationes uno alterove codice, vel etiam coniectura nixas, neque illa me incessit superstitio, quae receptam scripturam, tanquam sanctam rem, ubique defendat. Sunt haud dubie loca, ad quae feliciter emendanda et explicanda ingenii auxilia quam maxime conducunt, quum nonnunquam plurimorum vel omnium codicum lectio nullum, aut ineptum sensum praebeat vitiumque in aperto sit: multo tamen cautius in hoc genere est versandum, quam a nonnullis est factum. Nam multus sane reorum numerus foret, si omnes inutilium coniecturarum accusandi in jus vocarentur. Non omnes, qui criticorum munere funguntur, tam arctis se continent limitibus, quales Celeberrimus Wolfius in Prolegomenis ad Homerum § 1 egregie praescribit hisce verbis: „Justa recen„sio, bonorum instrumentorum omnium stipata praesidio, „ubique veram manum scriptoris rimatur; scripturae cu„jusque, non modo suspectae, testes ordine interrogat, „et quam omnes annuunt, non nisi gravissimis de caussis „loco movet; alia per se scriptore dignissima, et ad veri„tatem seu elegantiam sententiae optima, non nisi suffra„gatione testium recipit; haud raro adeo, cogentibus „illis, pro venustis infert minus venusta etc." Quas leges quum et ego in Suetonio recensendo strenue sequerer, non semel accidit, ut anceps mihi consilium esset. Quibusdam enim locis recedendum erat ab illius viri adnotationibus ad Suetonium conscriptis, ut leges, quas ipse de critica arte tulit, bene starent. Malui nempe Suetonii interpreti imperium obtrectare, ut tanto constantius potiora celeberrimi critici praecepta seruarem.

Eum autem scribendi modum adhibui, ut breuitatis studio plurimis in locis omitterem accuratiorem notarum, quas interpretes protulerunt, recensionem, putans fore, ut nemo meas opiniones diiudicaturus sit, cui de priori cuiusuis loci interpretatione et lectionis ratione non satis constet. Scilicet, quae post omnes scripsi, post omnia etiam legenda erunt. — Felicius forsan et certius disputassem, si codicum inspiciendorum copia mihi fuisset. Nam licet plurimorum codicum lectiones in doctorum virorum

commentariis contuearis, maiorem tamen fiduciam libri propriis oculis inspecti addunt. Quare a multis locis, ubi sine noua manuscriptorum exploratione nihil certi statui posset, abstinere malui, quam inutilibus coniecturis indulgere. Itaque etiam non dubito, quin quaedam huic libello insint doctioribus viris minus probanda; quapropter non possum non aequos mihi expetere juueni judices.

Suetonii C. Julius Caesar.

Cap. 22: *Ex omni prouinciarum copia Gallias potissimum elegit, cuius emolumento et opportunitate idonea sit materia triumphorum.* Ingeniosissima est emendatio: *cuivis emolumento et opportunitate idoneas et materia triumphorum.* Quoniam tamen a codicibus omnibus recedit, viri doctissimi huius emendationis fautores non succensebunt, si quis iterum reuertatur ad codicum lectionem eamque explicare studeat. Et primum quidem immerito obtrectant Sanctii et Perizonii meritis, qui tamen satis accurate sermonis Latini indolem indagauerant. Nihil verius est, quam ea ratio, ex qua ad vocem: *cuius*, intelligitur: *prouinciae*. Quam structuram viri docti exemplis satis illustrarunt, et, si opus esset, multa adhuc afferri possent. Solent enim in huius generis formulis ad nomen speciei magis, quam ad nomen rei proprium attendere. Hinc Noster in Tito, c. 5. *cepitque eam* dicit, de Hierosolymis loquens. Quis non videt insignem esse similitudinem utriusque loci? ut adeo, si quis in altero offendat, alterum ferre non possit. Minus etiam de probitate vocis: *cuius* propterea dubitandum erit, quod diserte vocabulum *prouinciarum* antea expressit. Si Suetonius dixisset simpliciter: *Gallias prouinciam cepit, cuius* etc. ut in Vespas. c. 2. *Quaestor Cretam et Cyrenas prouinciam sorte cepit:* nemo in hac structura offendisset. Quod autem Wolfius, Vir Celeberrimus, dicit, nullam praesentis verbi *sit* esse rationem, vereor, ne satis firmis haec obseruatio nitatur argumentis. Tum enim plurima in scriptoribus loca essent corrigenda. *Esset*, quod haud dubie Vir Doctiss. requirit, cum conditione, cui hic non est locus, rem efferret in hac verborum serie. *Cuius - sit -* autem exprimit ratione quadam ipsa verba vel cogitata Caesaris, et significat: *cuius putabat esse* vel *putans eius esse.* Quod autem attinet ad reliqua verba, primum desiderant praepositionem: *in*, ante: *emolumento*; deinde in ipso huius vocabuli significatu haerent. Sed verba sic interpreta-

tione coniungas: *cuius sit materia triumphorum* (h. e. quae praebeat vel habeat materiam triumphorum). *idonea emolumento et opportunitate* h. e. idonea, siue spectetur emolumentum, siue opportunitas. Ita duplex nodus solvitur. Fortasse ordo verborum quosdam offendet; sed quo minus genitiuus: *cuius*, pendeat ab: *emolumento et opportunitate*, legenti satis cauet insolentia huius locutionis sine praepositione: *in*, ante: *emolumento*. Et debebat scriptor vocabula ea serie ponere, qua, quale sit cujusuis pondus, constet.

Cap. 27: *Gratuito aut leui foenore obstrictis*. *Gratuito* cum *foenore* si coniungis, ut placet Ernestio, intolerabilis est σύλληψις. Haud dubie latet pecuniae locatae notio; latet autem in vocabulo: *obstrictis*, quod de iis dicitur, qui pecuniam mutuam acceperunt. cf. Ciceron. epp. lib. XI. ep. 10. *ut omnes jam meos amicos aere alieno obstrinxerim*. Ablatiuus: *leui foenore*, et *gratuito*, quod etiam aduerbium dici potest, non ita pendent a verbo: *obstrictis*, ut in loco Ciceronis: *aere alieno*. Sed verba: *gratuito* et *leui foenore* potius absolute accipienda sunt, quasi Suetonius scripsisset: *aere alieno ita obstrictis, ut aut gratuito debitum contraherent, aut leue foenus esset*.

Cap. 28: *Quando nec plebiscito Pompeius postea abrogasset*. Errant interpretes, qui hic aliqua textus mutatione opus esse censent. Caussa erroris est in Suetonii breuitate. Attamen verba: *Acciderat — errorem*, quasi pro commentario sunt habenda, Quae si modo ad antecedentia explicanda recte adhibentur, antiqua lectio bene se habebit. Locus ita est accipiendus: Caesar plebiscito priuilegium obtinuerat, ut absentis sui comitiis ratio haberetur. Illud priuilegium autem Pompeius lege, quam sine exceptione proposuerat, abrogauit. Hac re fretus M. Claudius Marcellus noluit absentis Caesaris rationem comitiis haberi. Nam quamquam Pompeius postea errorem correxerat, id tamen non plebiscito, ut debuit, factum est, sed Pompeii arbitrio. Hinc minime pro lege illa exceptio accipi poterat, et recte Consul argumentum pro sententia sua hoc afferebat: *quando nec plebiscito Pompeius postea abrogasset*. *Postea* aperte indicat illud tempus, quod sequebatur legem de jure magistratuum latam. Ceterum ad verba: *postea abrogasset*, quia non antea jam Suetonius Pompeii legem commemorabat, non tam: *legem*, sup-

pleri debet, quam id, quod modo scriptor attulerat: *ut nempe absentis nulla ratio comitiis haberetur.*

Cap. 54: *In Hispania pro Consule.* Ernestii nota inde a verbis: *Possis accipere* usque ad *Proconsul esset*, magno viro non satis digna esse videtur, aut non satis recte verbis concepta. Wolfius autem aliam lectionem: *a Proconsule*, in textum recepit, quae licet quorundam codicum auctoritate nitatur, parum tamen idonea est. Suetonius in eo est, ut probet, Caesarem neque in imperiis, neque in magistratibus abstinentiam praestitisse; quare non potuit mentionem facere pecuniae, quam ille a Proconsule acceperit. Nam si a Proconsule pecuniam accepit, id minime spectat ad imperia, de quibus hic sermo est: in Proconsulem Caesari non erat imperium. Agitur de pecuniis in imperio h. e. ab incolis provinciae iniuste exactis. Denique formula: *pro Consule*, mire Suetonio conuenit. cf. Galba c. 7. *pro Consule.* Tiber. c. 3. *pro Praetore.* Nero c. 40. Taciti etiam manuscripti in eo conspirant, ut scribant *pro Consule*, *pro Praetore*. cf. Pichena ad Annal. II. 52.

Cap. 70: *Ardente tunc in Africa bello.* Perperam statuunt, particulam: *in*, delendam esse. *Ardens bellum* aeque bene dici potest, atque *ardens oratio*. Cicer. in Orat. c. 38. *ardens precatio* et similia. Significat enim omnino id, quod in suo genere vehemens est, quod fit cum feruore. cf. etiam Tacit. Ann. I. c. 73. *exitium postremo arserit.* Incommoda autem esset locutio, omissa praepositione, propter duplicem ablatiuum; *ardente* enim ad utrumque referri posset legenti. Aug. c. 19. *debita sibi fato damnatione*, aliisque locis, aliter res se habet. Hinc nescio, an non etiam in Liv. XXXI, 11. melius legatur: *flagrante bello Italiae vel in Italia*, propter eandem ambiguitatem. Denique fortassis nimium est, quod Africa dicatur bello ardere, quod significaret: *Totam Africam bello occupari*, ut Cicer. ad Famil. IV, 1. *Orbis terrarum ardet bello*, quamuis *Africae* nomen arctiori accipiatur significatu.

Cap. 86: *Alii e diuerso opinatum insidias undique imminentes subire semel confessum satius esse, quam cauere semper.* Plane consentio cum iis interpretibus, qui putant: *opinantur confessum*, absurdam esse locutionem; neque tamen concesserim, abiici vocem: *confessum*, quae tantum abest, ut offendat, ut totam potius sententiam

melius constituat, modo verba recte jungantur et explicentur. Varietas codicum satis testatur, locum non ex omnibus partibus saluum esse; neque tamen arbitraria mutatione opus est. Hinc cum Torrentio e codicibus lego: *opinatum*, pro *opinantur*, quod propter loci difficultatem imperiti librarii intruserunt. Jam totum locum ita explico: *Sunt, qui putent confisum eum nouissimo illo Senatus consulto ac jureiurando, etiam custodias Hispanorum, cum gladiis sectantium se, remouisse: alii* (sc. sunt, qui putent) *e diuerso opinatum* (sc. fuisse, h. e. diuersam ei opinionem fuisse, nempe eum non confisum nouissimo illo Senatus consulto ac jureiurando etc.) Quae deinde per sequentia magis explicantur: *confessum* h. e. quippe qui confessus sit, *satius esse insidias undique imminentes subire semel, quam cauere semper.* Ad formulam: *e diuerso* cf. Octauian. c. 27. *hunc e diuerso professum.* Domitian. c. 9. *immo e diuerso.* Verbum *opinari* absoluta hac significatione similiter usurpatur in Octauian. c. 67. *Cosmum, seruum, grauissime de se opinantem.* Suetonius, uti Tacitus, saepe cumulat participia, omisso verbo substantiuo, ut ita non semel oratio obscurior euadat.

Suetonii Octauianus.

Cap. 2: *Ea gens a Tarquinio Prisco rege inter Romanas gentes allecta, in Senatum mox a Ser. Tullio. In patricias transducta, procedente tempore ad plebem se contulit.* Haec verba plerisque interpretibus lectione corrupta laborare videntur. Hinc Torrentius legi vult: *inter patricias.* Graeuius: *in patriciis.* Alii: *in patricios.* Alii alio modo locum legunt et constituunt. Wolfius autem ad hunc locum haec: „Tenor dictionis ducit eo, ut priora *in Senatum*, glossema putemus; ducit et verborum collocatio „et mox nomen patriciatus. Viderunt rem et alii: nobis, „ut saepe alias, id restat, ut accuratius caussas ponamus „ad acuenda iuuenum ingenia.“ Jam ut meam de hoc loco opinionem cognoscas, vide, annon salua sit lectio. Verba autem ita coniungas, ut post *Tullio* interpungatur et ad verba: *in Senatum mox a Ser. Tullio* suppleatur verbum, quod antecedit: *allecta.* Ita sensus post *Tullio* absoluitur. Jam sequentia accipio sic: *in patricias transducta* (h. e. quum antea in patricias transducta esset, nempe eo ipso, quod Seruius Tullius in Senatum allegerat) *procedente tempore ad plebem se contulit.* Haud dubie ad verba *in Senatum* melius quadrat *allecta,* quam

transducta, cf. Vespas. c. 9. *honestissimo quoque — allecto.* Claud. c. 24. *in Senatum allegisse.*

Cap. 5: *Grauiori adulterii poena.* Non intelligo Wolfium ad h. l. cuius verba sunt: *grauiore quam statuta erat lege Julia de adulteriis.* Nam grauior, quam lege Julia statuta erat poena, non potuit in ipsum cadere; hinc non opus erat, ut grauiorem deprecaretur. Comparativus eam potius habet vim, ut indicet: adolescentem poenam non omnino deprecatum esse omnem, sed leniorem, quam qua secundum legem Juliam afficiendus erat, sibi expetiuisse. cf. locum simillimum Taciti Annal. II. 50. *Adulterii grauiorem poenam deprecatus, ut exemplo majorum propinquis suis ultra ducentesimum lapidem remoueretur, suasit.*

Cap. 7: *Imagunculam — — — quae, dono a me Principi data, inter cubiculares colitur.* Plurimi interpretes legi malunt: *inter cubiculi Lares.* Prouocant ad locum Domitian. c. 17. *Puer, qui arae Larum cubiculi ex consuetudine assistens interfuit caedi.* et Vitell. c. 2. extr. Wolfius etiam addit: *vulgatam usum habere ab omni latinitatis usu alienum.* Cum tamen nihil varient codices, cautius in mutanda lectione erit versandum. Quod latinitatem attinet, minus recte monuit Vir Doctissimus. Licet enim nusquam legatur simplex *cubiculares* pro imaginibus in cubiculo positis, hoc tamen loco satis habet, quo referatur et intelligatur. Sermo enim est de *imaguncula*, quam auctor, dono a se Principi datam, inter cubiculares, sc. imagines (quod ex antecedentibus facile suppleri potest) coli dicit. Jam imagines cubiculares eaedem sunt, quae imagines Larum in cubiculo positae.

Cap. 10: *In locum Tribuni plebis forte demortui candidatum petitorem se ostendit.* Alterutrum: *candidatum* siue: *petitorem* glossema esse clamitant omnes. Quare etiam a recentioribus editoribus *petitorem* omittitur. Nimia forte sedulitas fuerit, in huius generis locis ad glossematis suspicionem confugere. Nam quis tam rudis esse potuit et rerum Romanarum ignarus, cui glossemate ad vocem: *candidatum*, opus fuerit? Hinc nescio, qua tandem ratione id glossema huc irrepere potuerit. Glossematis suspicio mouenda est, ubi vocabulis obsoletis et obscuris usitatiora et clariora substituta inueniuntur. Aliquod saltem vestigium adesse debet, unde originem glossematis cognoscamus, quod hic video nullum esse. Nam quod vocabulum:

petitorem inquibusdam codicibus deest, illorum codicum auctores hanc lectionem concoquere non potuerunt ad similitudinem interpretum, qui deinde hunc locum tractarunt. — Candidatum autem Suetonius ideo addidisse videtur, ut rationem indicet, qua in tribunatu petendo usus sit Octauianus: Scilicet non inuasit ut consulatum postea. c. 26. *sed candidatus* et rite petiit. Vocabulum: *candidatus* pro adjectiuo addi posse, non solum ex ipsa eius etymologia, sed etiam ex locis compluribus elucet. cf. infr. c. 98. *vectores nautaeque candidati*, et alibi.

Cap. 11: *Ut — solus victores exercitus occuparet.* Wolfius ad hunc locum: „Hoc verum esse non potest. Mini-„me victor erat exercitus Pansae." Recte, si de priori proelio, quo Pansa saucius fugit ad castra, sermo est; secundo autem proelio Pansae legiones victas abiisse, me legere non memini. Hinc satis recte inter exercitus victores referri possunt. Pansa post proelium alterum demum decessit. Ceterum ex Eutropio Suetonium emendare non licet.

Cap. 15: *Exstiterunt, qui traderent, consulto eum ad arma isse.* Variant codices inter: *consulto*, *conspicato*, *conspecto*, *ex proposito*, ita tamen, ut *consulto* in plurimis et optimis libris inueniatur, et cetera ideo interpretamentis adnumerari possint. Sed interpretes in hac lectione minime adquieuerunt. Lipsii coniectura est: *ē compacto*, quod Graeuius, Gronouius et Oudendorpius receperunt. Ernesti mauult: *composito*, quod dicit propius accedere ad lectionem codicum et editionum, quae habeant *ex proposito*. Sed facile perspicies, propterea viros doctos talibus coniecturis indulsisse, quod praeoccupati sententia quadam, quae huic loco non inest, Suetonium adirent et explicarent. Jubent enim Suetonium dicere, *Antonium consensu Octauiani arma cepisse, atque inter hunc et L. Antonium conuenisse, ut simularent inimicitias.* Ad quam sententiam quum lectio: *consulto* minime quadraret, eam damnauerunt. Tum etiam paene actum fuisset de sequenti voce: *eum*, quae tamen et sic fautores et defensores nacta est. — Jam wulgaris lectio bonum quidem fundit sensum, nec tamen id exprimit, quod interpretes exprimi censuerunt. Si quid video, ii, qui tradiderunt, *consulto* Octauianum ad arma isse, id sibi voluerunt, bellum illud non, ut videbatur, ideo ab Octauiano susceptum esse, ut L. Antonium opprimeret, nec illud bellum necessario inceptum esse, sed potius Octauianum ita se gessisse, ut

res ad bellum non posset non spectare, eumque neglexisse consilia, quibus bellum auertere potuisset, quoniam alio quidem tecto consilio bellum magnopere exoptabat, scilicet *ut occulti aduersarii, et quos metus magis quam voluntas contineret, facultate Lucii Antonii ducis praebita, detegerentur; deuictisque his et confiscatis, promissa veteranis praemia persoluerentur.* Eum sensum vocabulo: *consulto* inesse posse, docent loca, ubi similiter adhibetur. cf. Caesar de Bello Gallico l. V. c. 50. *Caesar consulto equites cedere, seque in castra recipere iubet.* Idem ibid. c. 16. *propterea, quod illi etiam consulto plerumque cederent. Consulto cedentes* hic sunt, qui plane alio consilio cedunt, quam quo cedere putantur, vel qui, quum cedere videantur coacti, sponte cedunt propter consilium tectum. cf. etiam Noster in Tiber. c. 53. Tacit. Ann. IV. 16. — Sententia, quam nostro loco affingunt, absurdior esse videtur, quam quae serio a Suetonio afferri potuerit. Si quis enim atrocitatem illius belli, et potissimum mala ex Perusiae obsidione in L. Antonium redundantia cognoverit, haud facile sibi persuadebit, Antonium tot tantasque calamitates ex compacto tulisse.

Cap. 25: *Libertino milite — —bis usus est — — — eosque seruos adhuc viris feminisque pecuniosioribus indictos, ac sine mora manumissos, sub priore vexillo habuit.* Haec verba non satis recte coniunxisse videntur interpretes, unde vitii suspicio orta est. Minime coniungenda sunt: *eosque seruos habuit;* sed verba: *seruos — manumissos,* explicationis caussa adponuntur, ut ita *seruos adhuc* pertineat ad *indictos.* Quare sic erit distinguendum: *eosque,* (sc. libertinos milites,) *seruos adhuc viris feminisque pecuniosioribus indictos, ac sine mora manumissos, sub priore vexillo habuit.* Breuitatis studio sententiae primariae: *Augustum milites libertinos sub priore vexillo habuisse:* intrudit aliam, qua significat: *milites illos non antea libertinos fuisse, sed militiae caussa manumissos.*

Cap. 43: *Non in foro modo, nec in amphitheatro, sed in circo et in septis, et aliquando nihil praeter venationem edidit.* Est lectio omnium codicum praeter unum Memmian. qui habet: *sed et in circo in septis nihil unquam praeter venationem edidit.* Ita etiam plures alii codices addunt *et* post *sed.* Facile intelligi potest, Memmiani codicis plane aliam esse rationem, quam lectionis in reliquis obviae. Quod habet: *nihil unquam,* si spectas verba, cum vulgari: *aliquando nihil,* conciliari

quidem potest. Nam *aliquando* pro *unquam* poni testantur loca apud Ciceron. Famil. IV. 6. *Ille aliquando non defuit meae saluti.* Id. pro Coelio c. 6. *Quis ciuis meliorum partium aliquando?* Sed in contextu, quem plurimi codices exhibent, multum interest, utrum legatur, *aliquando*, an, *unquam.* — Jam in vulgata plurimorum codicum lectione recentiores interpretes ad unum omnes ita offenderunt, ut necessario locum corruptum esse statuerent. Quare addiderunt vocem: *munera*, post: *histriones*, cuius emendationis fons exstat monumentum Ancyranum; et profecto aliter fieri non potest, quam ut in hisce Augusti rebus explicandis ad illud monumentum confugiamus, et inde etiam scripturae constituendae rationem petamus. Sed vide, ne nimia licentia pecces. Nam quamquam Suetonii narratio niti videtur monumento Ancyrano, non tamen ita versatus est in hac re, ut omnia, quae ibi sunt, in librum suum transferret. Sed tantum res grauissimas inde decerpit, nec iisdem ambagibus exprimit, ita tamen, ut quasdam sententias suo consilio utiles interponat, vel res suo modo concinnet. Parum etiam lectoribus consuluisset plane diligenti harum rerum explicatione, uti est in monumento Ancyrano; quanto enim accuratius, tanto ingratius res ibi referuntur. Jam quod attinet ad emendationem huius loci ab interpretibus propositam, quamuis nata sit ex monumento Ancyrano, non ideo tamen minus arbitraria est, quoniam praeter contextum inde desumserunt. Non enim exstat locus in illo monumento, qui huic nostro plane respondeat. Quare etiam tam parum viris doctis satisfecit, ut Celeberrim. Wolfius grauius et vetustum ulcus hic latere suspicetur. Dum magnus aliquis Aesculapius ulceri medicinam afferat, vulgatae lectioni explicandae, et, si fieri potest, defendendae operam nauabimus. Nuper putabam, Suetonium nihil aliud dicere, quam: *Augustum non solum in foro, nec in amphitheatro; sed etiam in circo et in septis aliquando nihil praeter venationem edidisse.* Particulam: *et*, quae post vocem: *septis* ponitur, accipiebam pro *etiam*, ut ita *sed — et —* responderet superiori: *non — modo*, ut Claud. c. 21. *non usitata modo ac solitis locis, sed et commentitia et ex antiquitate repetita.* Tum autem *et* post *septis* delendum, et ante vocem: *circo*, ponendum erat, ne contortior euaderet dictio. Jam autem ex parte aliqua opinionem mutaui, et persuasum

habeo; plane nulla emendatione, nec transpositione opus esse. Et primum quidem negari non potest, notionem aliquam hic latere. Nam verba: *non in foro — septis:* quum ad superius verbum: *fecit* nequeant referri, non nisi per notionem ad ea supplendam cum sequentibus cohaerere possunt. Id bene intelligebant, qui vocem: *munera*, interposuerunt. Neque tamen vox: *munera*, supplenda, multo minus scribenda erat; sed ex contextu nulla alia notio huc referenda est, quam *spectaculorum*, quod ab initio capitis legitur. Minime vero *spectacula*, loco vocis: *munera*, scribas. Nam Suetonius respicit nonnunquam ad vocabulum aliquanto remotius, quod, quum attento lectori facile succurrat, eleganter non repetit, ut suppleatur. Confer, quae disputaui in Jul. Caes. c. 22. ad vocem: *cujus*, et in Octauiano cap. 7. ad vocem: *cubiculares*. Scilicet principio capitis Suetonius in uniuersum, ut solet, dixerat: *spectaculorum et assiduitate et varietate, atque magnificentia, Augustum omnes antecessisse.* Deinde singula spectaculorum genera recenset. Et primum quidem loquitur de ludis scenicis, inde a verbo: *Fecisse* usque ad: *histriones.* Tum pergit: *Augustum etiam non in foro modo, nec in amphitheatro, sed in circo et in septis edidisse,* sc. spectacula, ut Claud. c. 21. ab init. Constat enim de spectaculis sermonem esse. Addit ut memoratu dignum, quod Augustus aliquando nihil praeter venationem ediderit. Venatio enim plerumque tantum pars muneris fuit. cf. Claud. c. 21: *Non nunquam interiecta per quinos missus venatione.* Eod. capite: *Anniuersarium in castris praetorianis sine venatione.* Caligul. c. 18: *interiecta modo Africanarum venatione.* Jam si quaeris, quaenam illa spectacula fuerint, quae Augustus in foro, in amphitheatro, in circo et in septis edidit, constat ad illos locos pertinere *aurigas, cursores, gladiatores, venationem* atque huius generis alia quaedam, de quibus scriptor loquitur inde a verbis: *In circo* et quae seqq. Quare vox *munerum*, quam emendationis caussa interponunt, angustioris significationis esse videtur, quam quae satis recte hic locum obtinere possit. Nam munera Suetonio sunt unice gladiatoria. cf. Ernesti in claue Cicero n. sub h. v. Jam redeo ad lectionem codicis Memmiani, quam et ipsam defendi posse censeo, modo uncis verba sic distinguantur: *Non in foro modo, nec in amphitheatro, sed et in circo (in septis nihil unquam praeter venationes) edidit.*

Cap. 69: *M. Antonius — obiecit, et feminam consularem e triclinio viri coram in cubiculum abductam. Viri coram*, emendant: *viro coram.* Non satis recte, ut mihi videtur. Quod in uniuersum ad usum voculae: *coram*, attinet, apud Suetonium fere semper sine casu positam video. cf. Claud. c. 34. *exigebatque coram.* Nero c. 7. *coram afflixit.* c. 41. *coram appellato.* c. 49. *coram fieri imperauit.* Vitell. c. 14. *coram interfici iussit.* Rariora sunt exempla, ubi coniungatur cum casu; et tum semper casui postponitur. cf. Tit. 10. *populo coram.* Nero. c. 33. *se coram.* Otho c. 1. *se coram.* Quare malim, casum pro absoluto haberi, ut sub eo intelligatur participium verbi substantiui (*'οντι*), quam ut a vocula: *coram*, pendere dicatur. Eodem modo etiam hic: *viro coram*, dici potuit. Sed cur vulgatam mutemus, quae bonum sensum fundit? *Triclinium* est et locus, ubi coenabatur, et lectus, in quo ad mensam accumbebant. Hic posterius valet; interpretes vero obstinato quodam animo illud volunt. Jam: *triclinium viri*, est triclinium, in quo vir cum uxore et aliis quibusdam accubuerat. Duo igitur sunt, quae ut satis impudens Augusti factum arguant: primum, quod e triclinio viri, non ex alio quodam remotissimo a viri triclinio, et deinde, quod coram, h. e. ut omnes rem intelligerent, abduxit.

Cap. 73: *Veste non temere alia, quam domestica usus est, ab uxore et sorore et filia neptibusque confecta.* Hic locus multis disputationibus occasionem praebuit, vel potius disputandi occasionem hic venati sunt interpretes. Nam reuera nulla inest difficultas et omnia rectissime se habent; nec opus est illa transpositione grauissimis interpretibus mire probata, nec contortiori quacunque verborum explicatione. Antiqui non ita, ut nos, distinguunt inter pannum et vestimentum, ut illud tantum respiciat ad materiam, hoc ad formam, quoniam vestes statim in eam formam texebantur, quae cuiusque generis vestimento erat. Hinc illa distinctio antiquitati plane non conuenit. Vestis, si ita simpliciter ponitur, neque aliunde de alia eius significatione constat, non nisi de vestimento accipi potest. Facile autem intelligitur: *domestica vestimenta* et *forensia* hic sibi opponi, quod constat per *et — autem* iuxta: *forensia* obuia. Quomodo enim *vestimenta ab uxore et sorore et filia neptibusque confecta*, et *forensia* possint sibi opponi, non video. Domestica vestis est, qua domi utun-

tur; forensia sunt splendidiora et minus simplicia domesticis. cf. Caligul. c. 17. *Forensia insuper viris — distribuit.* Jam interpretes, si animum bene vertissent ad vocem: *non temere*, cui in sequentibus opponitur: *nunquam non*, melius hunc locum explicuissent. *Temere* enim significat *praeter caussam*, et Augustus dicitur veste non alia quam domestica usus esse, (vano igitur splendori et fastui minime studuisse) nempe *temere* h. e. nisi caussa adesset, ut splendidioribus vestimentis uteretur, v. c. publice proditurus ad concionem, aliaque publica negotia, etiam ad conuiuia solemnia et sic porro. Tum autem utebatur vestimentis forensibus, quae etiam nunquam non intra cubiculum habuit ad subitos repentinosque casus parata. Laudat igitur Suetonius in Augusto, quod in vita priuata vestium simplicitate usus sit, neque tamen dignitati suae quidquam detraxerit, quippe qui publice splendidioribus vestimentis prodierit. In plurimis locis simili modo Suetonius vocem: *temere*, ut hoc loco, usurpauit cf. c. 77. Caligul. c. 36. Tit. c. 8. Domit. c. 19. c. 21.

Cap. 86: *An potius Asiaticorum oratorum, inanibus sententiis, verborum volubilitas in nostrum sermonem transferenda? Inanibus sententiis* negant quidam cum volubilitate verborum coniungi posse. Quod minime recte statuunt; imo verissima haec lectio ita seruari potest, ut verba: *inanibus sententiis* absolute accipiantur, et significent: *cum sententiae inanes sint.* Cujus structurae exempla plurima occurrunt, praesertim apud Suetonium et Tacitum, cf. Tacit. Ann. III, c. 26. *Hae primo rudibus hominum animis simplices erant.* Videtur etiam volubilitas verborum non proprie dici posse *inanis* h. e. vacua *sententiis;* sententiae enim quaedam tamen inesse debent verbis, sed haud raro sententiae sunt inanes. Nihilominus volubilitatem verborum sententiis inanem dici posse concedo; tum autem *inanis* est *vana*, *futilis.*

Cap. 88: *Orthographiam, id est, formulam rationemque scribendi a Grammaticis institutam, non adeo custodiit: ac videtur eorum potius sequi opinionem, qui perinde scribendum, ac loquamur, existiment.* Non opus esse videtur, ut pro vulgari: *custodiit*, ex auctoritate quorundam codicum legatur: *custodit.* Nam quae ab initio capitis sententia legitur, in uniuersum valet. Solet enim Suetonius, ad aliud quid transiturus, sententia breui adumbrare ea, quae deinde longius exemplisque explicat. Sicut igitur initio cap. 84.

est: *exercuit.* c. 85. *composuit.* c. 86. *secutus est* et alia aliis locis, ita hic dicit: *custodiit.* Illa autem, quae sequuntur inde a verbis: *ac videtur*, auctor ex autographis refert, quare commode tempore praesenti utitur. cf. verba ab initio cap. 87. — *usurpasse* — *ostentant.*

Cap. 94: *Fuerunt, qui interpretarentur, non aliud significare, quam ut is ordo, cuius insigne id esset, quandoque ei subiiceretur.* Sunt, qui illud *significare* mutent in *significari.* Sine caussa, puto. Ad vocabulum: *interpretarentur*, non alienum erit, ut *id*, suppleamus. Solet nempe Suetonius in talibus locis pronomen omittere cf. Claud. c. 11. *quod suam quoque caedem* (sc. eos) *depoposcisse cognouerat.* „Loci ex cap. seq. ab Ernestio laudati alia est ratio. Ibi enim propter vocem: *per haec, portendere* locum habere non potest. Tum etiam verbi: *coniectante* significatus et usus non plane congruit cum illo: *interpretari*, quod in nostro loco legitur.

Suetonii Tiberius.

Cap. 31: *Negante eo, destinatos magistratus abesse oportere, ut praesentes honori acquiescerent, Praetor designatus liberam legationem impetrauit.* Viri docti loco verbi: *acquiescerent*, substituere volunt: *adsuescerent.* Cum Augustus (cf. c. 30.) senatorum liberis accessum ad publica negotia maturaret, quo celerius rei publicae *adsuescerent*, nihil in eo erat absurdi. Non autem video, quo sensu magistratus destinati honori *adsuescere* dicantur. Num potuerunt honori adsuescere, antequam delibarent? Ad extremum nihil aliud inde elici poterit, quam quod multo clarius ipso vocabulo: *acquiescerent*, indicatur. *Acquiescere* enim ad similitudinem verbi *vacare* cum datiuo coniungitur. Uti *vacare* significat *vacuum esse* aliis laboribus, ut uni cuidam rei operam dare possis, sic *acquiescere* est quietem ita agere, ut alicui rei vires resumtas impendere possis. Nam quiescimus eo consilio, ut vires resumamus. Id igitur Tiberius sibi voluisse videtur, magistratus destinatos Romae adesse debere, ut bene praeparati, neque aliis interpellationibus distracti ad negotia publica accederent. Nemo enim infitiabitur, multo apparatu atque praesidio opus fuisse ad magistratus illos maiores bene gerendos. Ad hunc locum cf. c. 56. *quibus vel maxime acquiescebat.* Vitell. c. 14. *cui velut oraculo acquiescebat.* Iam vides *acquiescere* fere idem esse ac: *maxime operam dare, animum maxime intendere alicui rei.*

Cap. 63: *Quum interim, manente officii titulo, etiam delegaret plurima assidue, quae illi per legatos et adiutores suos exsequenda curarent.* Concedo, satis bene *plurima* et *assidue* coniungi posse, ut ita Tiberius et saepissime et permulta delegasse dicatur. Tum autem aduerbium *assidue* hic parum apto loco positum est. Sed multo magis offendunt, quae deinde leguntur: *quae — exsequenda curarent*, ubi voce: *exsequenda*, nihil est otiosius. Nam per vocem: *quae*, ad *plurima*, (quae delegauit,) referendam, satis innuuntur *exsequenda*. Quid multa? nihil verius est, quam vulgaris lectio: *quum interim — plurima, assidueque illi — curarent.* Scilicet quum scriptor dixisset, Tiberium unum et alterum, oblatis prouinciis, usque eo detinuisse, donec successores post aliquot annos praesentibus daret; ad duo erat respondendum: primum, num ita etiam in urbe praesentibus quaedam delegauerit? Respondet: plurima; alterum, quomodo illi exsequenda curauerint? Respondet: per legatos et adiutores suos. Verba: *assidueque* et quae deinde sequuntur, pendent a superioribus: *quum interim.*

Suetonii Caligula.

Cap. 16: *Multis incendiorum damna suppleuit.* Non satis idonea est Ernestii obseruatio ad vocem: *suppleuit*, et, ne tirones in errorem abducat, breui retractanda. *Supplere* per se non potest significare donationem, neque est proprium Suetonii verbum de donationibus principum pecuniariis: imo constanter indicat eiusmodi donationem, qua paratur alicui, quod deest, ut sit statu integro. Hinc in formula: *incendiorum damna suppleuit*, respicitur ad id, quod illi incendiis perdiderant, quodque deerat, ut statu integro essent. Idem valet de iis, quibus census suppleri dicitur. Possident quidem partem aliquam summae, quam possidere debent, neque tamen integro gaudent censu.

Cap. 25: *Matrimonia contraxerit turpius, an dimiserit, an tenuerit, non est facile discernere.* Legi malunt: *decernere:* scilicet ex mero emendandi studio. Utrumque verbum hic locum habere potest, et, quod attinet ad sensum, fere nullum discrimen erit, nisi quod *discernere* denotet antecedens, *decernere* sit consequens. *Discernere* non possumus rem, h. e. non possumus intelligere, quid sit; de re nondum satis intellecta non possumus iudicium ferre, h. e. non possumus *decernere*. Ita etiam in Liv. VII, c. 9. *discerni* legendum esse censeo.

Cap. 34: *De juris quoque consultis, quasi scientiae eorum omnem usum aboliturus, saepe jactauit: „Se, mehercule, effecturum, ne qui respondere possent praeter eum.* Hanc lectionem recentiores editores receperunt. Dubito, an satis recte. Nam si Caligula efficere voluit, *ne qui respondere possent praeter eum*, tum, mehercule, ipsos jurisconsultos abolere debuit. Scriptor autem dicit: *quasi scientiae eorum omnem usum aboliturus*, (quibus verbis aperte sequentia explicat.) Quare rectius Caligula dicitur jactasse, *se effecturum, ne quid respondere possent, praeter eum* h. e. praeter eius auctoritatem. Voluit igitur, juris consultos ex Caesaris arbitrio, non ex juris scientia responsa sua repetere, quod egregie conuenit tyrannidi.

Cap. 38: *Prolataque Diuorum Julii et Augusti diplomata, ut vetera et absoleta, deflebat.* Lectionem: *deflebat*, tuetur et codicum auctoritas, et ceterarum lectionum et coniecturarum vanitas. Fortasse verbum *deflebat* ita de re funebri desumtum est, (cf. Tacit. Ann. III, c. 5. *defletum in foro*. c. 12. *defleo equidem filium meum, semperque deflebo*. c. 17. *Vitellii et Veranii voce defletum*. aliaque loca) ut omissa lamentationis et lacrymarum notione in uniuersum significet: *aliquam rem ita habere, ut quasi sit conclamata*. Difficile autem erit hunc usum verbi: *deflere*, exemplis probare. Nihil tamen est usitatius, quam talis significationis imminutio, ex qua verbum aliquod metaphorice positum partem notionis suae amittat. Prouoco ad verba: *conclamare*, *irridere* et similia. Sed judicent doctiores, an etiam sine exemplis de hoc verbi usu, qui jam per addita: *ut vetera et obsoleta*, innuitur, certi quid statui possit.

Arguebat et perperam editos census. Si vocula: *et*, hic molesta, vel inutilis esset, suffragarer interpretibus, qui damnant, et, *ut*, substituunt. Jam video magis intendere orationem et Caligulae criminationem insolentiorem exhibere. *Arguere* autem varie in structura verborum usurpatur: cum genitiuo rei, ut dicunt, ut ita simul persona arguenda indicetur. cf. Otho c. 10, *nunc mendacii, nunc timoris — argueretur*. Claud. c. 44. *nec minus delatores multorum criminum arguebant*. Si vero res, quae alicui crimini vertitur, per adiectiuum exprimenda est, adiectiuo particulam: *ut*, solent addere. cf. Nero c. 7. *ut subditiuum apud patrem arguere conatus est*. Tum autem *arguere* quasi absolute ponitur pro *accusare*, *criminari*; *ut*

cum adiectiuo explicationis caussa additur. cf. Caesar. c. 81: *Spurinnam ut falsum arguebat.* Eadem ratio obtinet in aliis verbis, quibus simili modo *ut* apponitur. e. c. *diplomata, ut vetera et obsoleta, deflebat.* — *Testamenta — ut ingrata rescidit.* Claud. c. 15. *eum — ut cupidum judicandi, dimisit.* Sed: *ut*, tum demum necessario requiritur, ubi ad accusatiuum non potest suppleri infinitiuus *esse.* Qui si addi potest, commode etiam *ut* omittitur. cf. Virgil. Aen. IV, 13. *Degeneres animos timor arguit.* Tacit. Ann. II, 66. *quem sibi infensum arguebat.* Huic structurae plane congruit Graecorum ratio, in verbo *ελεγχειν* cum participio verbi coniungendo. cf. Aelian. var. hist. II. c. 13. *τοὺς σοφιστὰς ἤλεγχεν, οὐδὲν ὑγιὲς ὄντας, οὐδὲ τι σπουδαῖον ἢ εἰδότας, ἢ λέγοντας.* In uniuersum verbum *ἐλεγχειν* commode cum verbo *arguere* comparari potest. Denique illorum etiam locorum quaedam adponere juuat, ubi *arguere* cum simplici infinitiuo coniungitur. cf. Galba. c. 7. *Militi, qui — vendidisse arguebatur.* Claud. c. 16. *qui sibimet vim ferro intulisse arguebatur.* Jam nemo dubitabit, recte scribi: *arguebat et perperam editos* (sc. esse) *census.* Simillimae structurae exempla exstant apud Tacit. Ann. II, 30. *Uni tamen libello manu Libonis, nominibus Caesarum et senatorum, additas atroces vel occultas notas, accusator arguebat.* III, 14. *infectos manibus eius cibos arguentes.* Sed jam nimius fui in agenda re parua.

Cap. 52: *Vestitu calceatuque, et cetero habitu, neque patrio neque ciuili, ac ne virili quidem, ac denique humano.* Immerito Ernesti haeret in: *ac denique humano*, quod est pro: *ac denique ne humano quidem.* Ex vulgari consuetudine particula negatiua in altero membro omittitur, quoniam incommoda esset. Est autem gradatio in verbis: *patrio — ciuili — virili — humano* — quae perit substituta particula *nec* pro *ac.* Nam tantum abest, ut *nec* augeat, ut potius imminuat. Multo minus *aut* locum habere potest, quod plane turbat gradationem. Rectissime et cum vi repetitur particula: *ac*, ut respondeat alteri: *ac*, uti *neque — neque* in antecedentibus. Omisso altero: *ac*, parallelismus membrorum turbatur.

Cap. 58: *Caio „Jouem“ dante, Chaeream exclamasse: Accipe ratum.* Haec lectio jam ab editionibus exulat. Quis enim malet glandibus vesci, ex quo fruges repertae sunt? Contra emendationem: *accipe iratum*, ab editori-

bus in textum receptam, nihil monendum est, nisi quod arbitraria et a codicum auctoritate destituta est. Nam: *irati tela trisulca Jouis* nota sunt ex Ouid. Amor. II, 5. v. 52. Attamen ex optimorum codicum auctoritate fortassis retinendum erit: *ratum.* Explico sic: In sententiis vel vocibus, quae pro tessera exhibentur, fere semper latet votum aliquod. Hinc quum Caligula *Jouem* edidisset, non aptius potuit Chaereas respondere, quam: *accipe ratum.* Jam constat, Jouem semper cum fulmine esse. cf. Ouid. Amor. lib. II, el. 1. ut ita Jupiter et fulmen fere eandem exhibeant notionem. Neminem autem fugit, *fulmen* metaphorice saepissime dici pro *vi*, *vehementia*, *impetu*, *clade.* cf. Liv. XLV, 41. *quod duo fulmina domum meam per hos dies perculerint.* Cic. famil. IX, 21. *verborum fulmina.* Florus II, 6. *destinatum Romanis fulmen.* Profecto Caligula non hoc modo tesseram accipi voluerat; sed Chaereas suo modo interpretatur.

Suetonii Claudius.

Cap. 15: *Quum decurias rerum actu expungeret.* Ernesti *rerum actu* ad Claudium refert et explicat: *negotium publicum gerens.* *Rerum actu* igitur Ernestio est pro: *in rerum actu.* Satis obscure his quidem verbis scriptor Ernestii sententiam expressisset. *Rerum actu* non potest nisi ad *expungeret* ita referri, ut sit: *ex rerum actu.* *Rerum actu expungere* autem est *deligere, notare eos, qui a rebus gerundis sint remouendi.* Ad formulam: *rerum actio* cf. Claud. 23. ab init. Octauian. c. 32. Ubique dicitur de judicum officio, uti hoc etiam loco accipiendum est.

Absentibus, secundum praesentes facillime dabat, nullo delectu, culpane quis, an aliqua necessitate cessasset. Ad vocem: *absentibus*, desiderant exempla, quibus hunc loquendi usum probent. Nam quod Oudendorpius allegat ex Nerone c. 23. *hortantibus*, ideo non satis huic nostro loco respondet, quod proxime antecedens *judicum* vox ad participium: *hortantibus*, supplenda est. Cannegieteriana exempla improbauit Ernestius, Ernestiana Wolfius, ita tamen ut aptiora non adposuerit. Sed jam locum laudabo, huic nostro simillimum. Exstat Tacit. Ann. I, 29. *Orantibus, rursum idem Blaesus* etc. Ad formulam: *secundum aliquem dare* cf. eundem Tacit. Ann. IV, 43. *ita secundum Messenios datum.*

Suetonii Nero.

Cap. 12: *Exhibuit et naumachiam — item pyrrhichas quasdam e numero epheborum.* Ernestius dubitat, an recte dici possint: *pyrrhichae e numero epheborum exhiberi.* Immerito. Satis elegans est haec lectio, quoniam in voce *pyrrhicha* latet notio hominum, qui pyrrhicham saltant. Per adiectum *quasdam* constat etiam, ad corpora sive choros pyrrhichae saltatorum potius respici, quam ad ipsam saltationem. Intolerabilis esset locutio ex Ernestii sententia, si auctor dixisset: *Exhibuit — pyrrhicham aliquoties e numero epheborum.* Sed uti noster hoc loco, ita optimi quique scriptores substantiua collectiuia ponunt, ut eos iis dicent, e quorum numero quaedam constat societas. Jam etiam *quibus* habebit, quo referatur. Multo duriores huius generis locutiones occurrunt. cf. Vitellius c. 14. *alterius poenae duos filios adiecit.*

Cap. 25: *Et in veste purpurea.* Vestis non potest nisi in uniuersum intelligi; nam chlamydem quoque purpuream fuisse verisimile est.

Cap. 31: *Tanta laxitas, ut porticus triplices milliarias haberet.* Verba: *tanta laxitas* minime ita laborant, ut emendatione aliqua opus esse videatur. Post *tanta laxitas* ex antecedentibus supplendum est: *eius fuit.* Student breuitati in huius generis descriptionibus.

Cap. 32: *Inter canendum animaduersam matronam e spectaculis.* Quidam codices habent: *in spectaculis*, quam lectionem Oudendorpius recepit. Ernesti et ipse recepisset, nisi putauisset, loco motum esse vocabulum: *spectaculis*, et pertinere ad *detractam*, ut jam Beroaldus viderat. Hinc textum ita constituit: *inter canendum animaduersam matronam, vetita purpura cultam — dicitur: detractamque illico e spectaculis.* Celeberr. Wolfius verba: *e spectaculis*, pro glossemate habet. Ita post tot interpretum operas postremo eo ventum est, ut gladio lora rumpamus. — Sed et hoc loco, ut saepe alibi, fortasse ad lectionem plurimorum codicum redeundum, plane nihil mutandum, nec glossematis suspicio mouenda est. *Spectacula* sunt loci, unde spectatur, ut saepissime cf. c. 42. *spectaculis theatri.* Nero inter canendum (h. e. quum ipse esset in scena) *animaduertit matronam e spectaculis*, h. e. matronam, quae erat in spectaculis, ut dicimus: *conspicere* vel *animaduertere* aliquem vel aliquid *e regione aliqua, e longinquo.* cf. Tacit. Ann. IV, c. 23. *quae ex longinquo in maius audiebantur.* *E spectaculis* non magis, quam: *in*

spectaculis potest dubiam reddere locutionem, quum de Nerone satis constet locus per vocem: *inter canendum.*

Cap. 38: *Et quaedam horrea circa domum Auream, quorum spatium maxime desiderabat, ut bellicis machinis labefactata atque inflammata sint.* Ut offendit multos, et recentissime ad hunc locum Celeberr. Wolfius: „Importunum *ut* fortasse haesit ex male repetita syllaba priore." Sed bene se habet illud *ut*, totusque locus sanus est. Nempe verba ita cohaerent: Ad verba: *et quaedam horrea — desiderabat*: ex antecedentibus supplendum est: *tam palam incendit.* Nam quamquam verbum *incendere* huic loco minus conuenit, tamen uniuersa destruendi notio latet in verbo *incendere*. Et satis nota est illa optimorum scriptorum loquendi ratio, ut duobus substantiuis positis verbum subiiciant, quod alteri tantum conueniat: ut ἐξ ἀναλόγου alterum intelligatur. cf. Muretus ad Tacit. Ann. I, c. 44. sub verbis: *judicium et poenas.* Nemo mihi obiiciet, *horrea circa domum Auream* jam voce *urbis* indicari; nam quis ignorat eam formam orationis, qua, totius rei nomine posito, pars aliqua praecipue exhibetur?

Cap. 44: *Et insuper inquilinos priuatarum aedium atque insularum pensionem annuam repraesentare fisco.* Priuatae aedes et insulae haud dubie sunt: *aedes et insulae priuatorum* et opponuntur *aedibus et insulis publicis* h. e. quae sint reipublicae, quarumque reditus pertineant ad aerarium. Tales enim Romae fuisse, ex pluribus locis colligo. *Julius Caesar* (c. 38.) annuam habitationem Romae usque ad bina millia nummum, in Italia non ultra quingenos sestertios remisisse dicitur. Quod Ernesti explicat: „omnibus, qui non supra bina millia sestertium „soluere debebant pro habitatione, tum in urbe, tum in „Italia, largitus est, et quidem, ita, ut, pro urbanis, to„tam mercedem dominis aedium solueret, pro ceteris, „quartam mercedis partem." Sed *remittere annuam habitationem* non potest esse *dominis aedium soluere mercedem habitationis pro inquilinis.* Nec Dionis verbis a Casaubono laudatis hic sensus, quem putant, inesse potest. Nam locus τὸ ἐνοίκιον — ἀφῆκε plane respondet Suetonii verbis. Quod Caesar B. Civ. III, 21. habet: *mercedes habitationum annuas conductoribus donauit*, verbum *donare* ibi esse videtur pro remittere. Quodsi intelligis de remissione mercedis publicarum quarumdam aedium et insularum, bene se habet; sin minus, variis tricis implicaris.

Cap. 45: *Vindicem poscebant.* Ernesti ad hunc locum: „Intellige, formula aliqua verborum, in qua vindicis ver„bum usurparetur." Quis sit vindex satis constat, et Festus explicat: „Vindex ab eo, quod vindicat, quo minus „is, qui prensus est ab aliquo, teneatur." Hinc *vindicem poscere* idem erit quod: *auxilium alicuius implorare, ut nos vindicet ab altero*, neque de alia quadam formula cogitandum est.

Cap. 48: *Ad aduersum villae parietem euasit.* Codices habent *aduersum*, al. *ad aduersum*, al. *aduersus.* Gronouius et Perizonius putabant legendum: *ad auersum*, quod Ernestio etiam placebat. Wolfius in textum recepit. Negant enim *aduersum villae parietem* locum habere posse, quum per ea, quae antecedant, auersa potius villae pars innuatur. Nihilominus ad codicum lectionem redeundum puto. Si quis autem offendit in formula: *aduersus s. aduersum villae parietem euasit*, praeferat: *ad aduersum villae parietem euasit. Aduersus* dicitur paries respectu Neronis, qui ipsum petebat. Omnia nempe dicuntur aduersa, quae sunt ante nos. cf. quod antecedit: *fulgure aduerso. Auersum* est contrarium, ut Tacit. Ann. I, 66. *auersa hosti.*

Suetonii Galba.

Cap. 5: *Quae maritum quoque adhuc, necdum caelibem, Galbam adeo omnibus sollicitauerat modis. Necdum caelibem* pro glossa, aut pro tautologia molesta habent interpretes. Videntur tamen nimis severe hunc locum diiudicasse, nec poterit negari, verba: *necdum caelibem* facere ad antecedentia melius explicanda, ut ita hoc additamento constet, quid in voce: *maritum*, potissimum spectetur, et ut intelligatur, in hoc vocabulo esse maiorem vim. Huius generis tautologia quaedam vel optimis scriptoribus condonanda, nec in eo offendendum est, quod quaedam addantur, quae nouam notionem quidem non afferant, sed tamen magis rem exhibeant. cf. locum simillimum Nero c. 7: *Tener adhuc, necdum matura pueritia.* Placet etiam Oudendorpii emendatio: *nedum caelibem.*

Sestertium namque — accepit. Wolfius ad hunc locum dicit, bonos codices prope euidentem facere emendationem, quam in textu posuerit. Quam emendationem? Nam idem textus in Ernestii editione et Oudendorpii est. Denique non video, qua tandem emendatione hic opus esse possit.

Cap. 20: *Quoniam capillo prae caluitie arripere non poterat.* Oudendorpio *capillo*, Ernestio *prae caluitie* displicet. Alterutrum spurium esse dicit. Cum Aristarchis Aristarchi modo disputandum est. Sed sine obtrectatione hoc dictum volo. Videtur igitur utrumque et *capillo* et *prae caluitie* perspicuitatis caussa necessario in textu poni. Et primum quidem, ut illi respondeam, caluities non potuit militem impedire, quo minus naso arriperet. Quare absurde miles diceretur prae caluitie arripere non potuisse. Capillo autem si dicitur arripere non potuisse, ratio tamen est reddenda, quae aliunde minime patet. Utrum igitur ponas, necesse est, ut alterum addatur, quo minus obscura et ridicula euadat lectio.

Cap. 22: *Cibi plurimi traditur, quem tempore hiberno etiam ante lucem capere consuerat: inter coenam vero usque eo abundanti, ut congestas super manus reliquias circumferri juberet, spargique ad pedes stantibus: libidinis in mares pronior*, etc. Locus varie tentatus, explicatus, emendatus. Sed lege cum plerisque Mss. *abundanti* sc. cibo, quod ex antecedentibus facile supplebis, ut sit ablatiuus absolutus. Anacoluthon, si placet, esse dicas, et conferas Wolfium ad Tiber. c. 31. Porro lege cum omnibus Mss. *pronior*, quod pendet a verbo: *traditur*, suppleto verbo *fuisse*. *Libidinis* autem non pendet a vocabulo: *pronior*, quod jam habet, quo referatur, sc. *in mares*; sed potius continuat structuram ab initio coeptam: *cibi plurimi* sc. fuisse. cf. Otho c. 12. *Fuisse enim traditur et modicae staturae, et male pedatus, scambusque; munditiarum vero paene muliebrium* etc. Domitian. c. 20. *epistolas, orationesque, et edicta alieno formabat ingenio, sermonis tamen nec inelegantis, dictorum interdum etiam notabilium.* cap. 22. *Libidinis nimiae, assiduitatem concubitus velut exercitationis genus, clinopalen vocabat. Abundantis*, quod commendant viri docti, displicet non, quia paulo remotius est a vocabulo *cibi*, sed quod simul supplendum esset: *fuisse traditur*, quo inepta euaderet sententia. Quod attinet ad *pronioris*, dubito an recte dicatur: *libido pronior in mares*, quum potius is, cui inest libido, sit pronior. Jam non video, cur minus bene aliquis dicatur *libidinis pronior*, quam *libidine pronior*: genitiuum et ablatiuum in talibus locis promiscue adhibent. Ambiguitas esse non potest, quoniam *pronior* non requirit genitiuum, sed cum praepositione: *in*, coniungitur.

Suetonii Otho.
Cap. 7: *Positaque breui ratione, quasi raptus de publico Palatium petit.* Haec lectio Wolfio etiam magis placet, quam altera: *positaque breui oratione*, quae est plurimorum codicum et antiquarum editionum. Sed neutra idoneum sensum praebet, quod omnes concedent, qui singula verba ex genio linguae latinae accuratius explicare studuerint. Ita etiam doctorum virorum coniecturae ad hunc locum emendandum prolatae satis ab aliis refutatae sunt. Leuissima mutatione facta locus planus erit. Plerique codices et antiquae editiones habent: *positaque breui oratione, quasi* etc. lege: *positoque breui oratione*, ut sit: *postquam posuerat breui oratione, quasi.* De usu verbi *ponere*, quem huic loco vindico, nemo dubitabit, qui contulerit: Ciceron. in Orat. c. 4. *Positum sit igitur inprimis, sine philosophia non posse effici eloquentem.* Eund. Coel. 7: *posuistis enim — coniurationis hunc participem fuisse.* Eund. Verr. II, 38. *tantum verbo posuit.* Ubi, *ponere* est: *afferre, commemorare, dicere in disputatione et oratione.* cf. Ernesti in Claue Ciceron. De structura cf. Tacit. Annal. I, c. 49. *intellecto, in quos saeuirent.* c. 73. *satis comperto, paternas ei angustias esse.* c. 66. *comperto, vanam esse formidinem.* c. 6. *juxta periculoso, ficta seu vera promeret.* III, c. 2. *addito, ut magistratus Calabriae — fungerentur.*

Suetonii Vespasianus.
Cap. 7. *Basilides libertus.* Ex Taciti auctoritate alii vocem *libertus* deleuerunt; alii deleri volunt; alii Suetonium cum Tacito conciliare student; Oudendorpius mutat in *liberius*, quod non facile quisquam probabit; alii Suetonium a Tacito dissentire, et quidem recte statuunt. Nam non solum in voce *libertus*, Suetonius discrepat a Tacito, sed etiam in eo, quod hic dicit: *Vespasianum pone tergum respexisse Basiliden;* ille *verbenas coronasque, et panificia Basiliden obtulisse ei visum esse.* Utrumque non potest conciliari. Nam verbenas coronasque et panificia offerens non potuit esse a tergo. Denique, quod Suetonius de Basilide refert, melius *liberto*, quam uni e primoribus Aegypti conuenit. Cardo rei vertitur in nomine Basilidis. Ceterum in referendis talibus factis mira est scriptorum dissensio, E. c. Suetonius refert Agrippam per tribunum, Tacitus per centurionem interfectum esse. cf. Sueton. Tiber. c. 22. Tacit. Annal. I, 6. Suetonio quidem illud: *occidit*, pro *occidi*

Jussit positum esse videtur. Nam et Tacitus tribuni custodiae adpositi mentionem iniicit. Sed ita etiam dissensio manet, quod paulo post Suetonius habet: *renuntianti tribuno*: Tacitus: *nuncianti centurioni*. Aliud huius generis exemplum exstat Tacit. Annal. VI, 20. Tacito dicitur Tiberius Graecis verbis in hanc sententiam adlocutus esse Galbam tum consulem: *Et tu, Galba, quandoque degustabis imperium*. Suetonius autem in Galba c. 4. refert: *Constat, Augustum puero adhuc Galbae salutanti se inter aequales, apprehensa buccula, dixisse: καὶ σὺ, τέκνον, τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παρατρώξῃ*.

Cap. 23: *De Cerulo liberto*. Iterum libertus interpretibus angorem excitauit. Putant nempe, Cerulum libertum dici posse non nisi respectu Vespasiani, quod cum sequentibus non bene conciliatur. Sed, nisi fallor, de lana caprina rixantur. Commentum illud de vocibus: *libertus* et *libertinus*, ex quo liberti dicantur non nisi respectu patroni vel domini, satis mihi suspectum est. Ut enim a *caper* fit *caprinus*, a *vulpes vulpinus*, ita a *libertus libertinus*. *Libertinus* igitur est adiectiuum, quod denotat id, quod ex genere libertorum est, vel ad libertum pertinet. Hinc olim e libertis procreati vulgo dicebantur *libertini*, ut e vulpibus procreati *catuli vulpini*. Hoc vero non impedit, quo minus *vulpes* et ipsa sit *vulpina*, et *caper caprinus*; hinc et *libertus*, eo ipso est *libertinus*, quod est *libertus*. Jam autem vulpinos dicimus catulos, ut genus catulorum denotemus, ita etiam homines appellamus libertinos, ut de genere et conditione hominum constet. Nam res ipsa flagitat, ut adiectiuo utamur. Ridicula tamen esset lex, qua, pullos cum dicimus asininos respectu generis, iuberemur asinos non nisi respectu domini nominare. Asini sunt vel sine domino: ita etiam liberti dici possunt sine respectu patroni vel domini: libertinos per se intelligitur semper dici pro conditione, pro ordine. Quare mihi non persuadeo, vocabulum *libertus* hoc loco necessario de Vespasiani liberto intelligendum vel in *libertino* mutandum esse.

Suetonii Titus.

Cap. 4: *Summa industriae, nec minore modestiae fama*. Sic Ernesti et post eum Oudendorpius textum constituerunt, sine codicum auctoritate. Puto, reuocandam esse vulga-

tam olim lectionem, quae est plurimorum manuscriptorum et antiquarum editionum: *Summa industria, nec minore modestia, et fama:* ut ita coniungas verba: *et fama* cum sequentibus: *Sicut apparet*, hoc modo: *et fama sicut apparet, et statuarum, et imaginum eius multitudine, ac titulis per utramque prouinciam.* Si quis tamen malit verba: *et fama*, ut olim, ad antecedentia trahere, ne absterreatur per Ernestii obseruationem, qui dubitat, an quisquam exemplum proferre possit unum idoneum, ubi fama simpliciter sic dicatur. Nam satis idoneum exemplum exstat Tacit. Ann. XIV, c. 47. *Eo anno mortem obiit Memmius Regulus, auctoritate constantia, fama, in quantum praeumbrante imperatoris fastigio datur, clarus.*

[illegible]